Universitätsbibliothek Paderborn

Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina Evangelica De Meditatione mortis

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Ad eos qui longo tempore malè vixerunt, vt vel in fine ad cor redeant, nec pereant : Admonitio. lxiij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46214

Visual Library

De ſumma ſummi ac potentiſſimi Regis, ac omnium Domini, Miſericordia & Bonitate, CLOTHARII Francorum Regis morientis Sententia: atque item Ambroſij.

CAPVT LXII.

Annonius de geſtis Franc. lib. 3. cap. 37.

VAH, vah: quàm magnus eſt Rex ille cœleſtis, qui ſic humiliat ſublimes terræ Reges. Iſte cùm ſit immortalis, melior eſt quouis orbis terrarum principe mortali. Quòd ſi melior, & potentior: & ſi potentior, ergo & miſericordiæ largitor. Qui non, vt multi hominum, mortibus delectatur reorum: Sed miſericors ac miſerator pœnitentiam amplectitur peccatorum. Illius igitur Clementiæ munus totis eſt exoptandum affectibus: déque eius miſeratione nunquam deſperandum. AMBROSIVS *ægrotus aiebat ad ſuos, Non ita vixi inter vos, vt pudeat me viuere: nec mori timeo, quoniam* DOMINVM BONVM *habemus.* Hanc ſententiam D. Auguſtinus in extrema ſua ægritudine recitauit.

Paulinus in vita D. Ambroſij. Poſſidon. in vita D. Auguſtini.

Ad eos qui longo tempore malè vixerunt, vt vel in fine ad cor redeant, nec pereant, Admonitio.

CAPVT LXIII.

Mar. Marul. Euangeliſt. lib. 2. ca. 73. Luc. 25. Mat. 20. Luc. 13.

TV qui multum temporis peccando conſumpſiſti, & ætatem ad bene agendum datam, in delitiis, in luxuriis, in obſcœnitatibus, turpiter contriuiſti, quò exciderìs cogita: & vel in fine de regione longinqua incipe redire ad patrem, quem reliquiſti. Conſule ſaluti tuæ, dum licet. Serum eſt, dicis: at etiam nouiſſimis datur denarius ſicut primis. Et mulier duodeuiginti annos inclinata ad cæleſtem medicum tandem accedens extento dorſo erigitur: quoniam eum qui mortuos ad vitam excitat, ſuam etiam infirmitatē quamuis diuturnam curare, & poſſe credidit, & velle ſperauit. Nunquam

ſerum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſerum eſt, ſalutem quærere, cùm ſemper ſpes impetran-
di ſuppetat, donec in corpore datur ſpirandi facultas.
Ipſe enim per Prophetam, non eſſe ſuæ voluntatis, aſſe- Ezéch. 33.
uerat, vt moriatur peccator: ſed vt conuertatur &
viuat. Omnia etiam facit, vt ſaluti tuæ conſulat: at-
que huc tendit, quòd promittit, quòd minatur, quòd
flagellat: quòd delinquentem non ſtatim perimit: quod
aliquando etiam beneficiis ad pœnitentiam prouocat:
denique vt peccatoribus vitam daret, filium ſuum vni- Ioan. 3.
genitum morti obtulit. Cuius quidem SANGVIS, *quem-* Mich. 28.
admodum tunc omnes Adæ filios à peccato lauit, vt qui
crediderit & baptiZatus fuerit, ſaluus ſit: ita nunc ſin-
gulos emundat, quoties nos Deo peccaſſe pœnitet. Vtere
tandem tantæ erga te Dilectionis beneficio, dum licet:
dum tempus eſt: dum vita ſuppetit: ſi ſine illo deceſſe-
ris, quis miſerebitur? Quære Dominum dum inueniri Eſa. 58.
poteſt: inuoca eum dum prope eſt.

Ad Deſperantem, conſolatoria Exhortatio: nulla
eſſe crimina tam immania, quæ pœnitenti, ve-
niámque petenti, ac Miſericordiæ Dei innitenti,
non remittantur.

NVNC *ad te conuertor, magni atque ingentis cri-* CAPVT
minis conſcie: qui te nullo modo veniam poſſe me- LXIIII.
reri exiſtimas: nec perpendis, quòd Dei Miſericordia Idem euan-
maior ſit multò omnibus peccatis. Quale autē & quam gel. lib. 2.
magnum eſſe poteſt ſcelus tuum, quod te ad deſperatio- cap. 14.
nem remiſſionis peccatorum queat compellere, & de
Deo non rectè ſentire: nempe, vt tibi pœnitenti parcere
omnino nolit: cùm nunquam ad pœnitentiam conuerſis,
& in ipſum confidentibus non ignoſcat? Si adulterium,
ſi homicidium perpetraſti: vtrumque Dauidi, cùm ſe 2. Reg. 12.
peccaſſe doluiſſet, eſt remiſſum. Si fœnore & vſuris rem

 quæſiſti: